

 HARVARD UNIVERSITY

Department of English

Old Language Exams: Latin

The following are examples of graduate language exams previously given by the Department of English.

Latin Exam

March 2014

Please translate the following two passages into English.

PASSAGE 1: From the Book of Judith.

[1] Ut autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit. [2] Erant autem omnes fatigati a vino, [3] eratque Judith sola in cubiculo. [4] Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. [5] Dixitque Judith puellae suae ut staret foris ante cubiculum, et observaret.

[6] Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrimis, et labiorum motu in silentio, [7] dicens: Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas: et hoc quod credens per te posse fieri cogitavit, perficiam. [8] Et cum haec dixisset, accessit ad columnam, quae erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit. [9] Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait: Confirma me, Domine Deus, in hac hora. [10] Et percussit bis in cervicem ejus, et abscondit caput ejus, et abstulit conopeum ejus a columnis, et evolvit corpus ejus truncum.

[11] Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillae suae, et jussit ut mitteret illud in peram suam. [12] Et exierunt duae, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, et transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis. [13] Et dixit Judith a longe custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel. [14] Et factum est, cum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis. [15] Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum: quoniam sperabant eam jam non esse venturam.

PASSAGE 2: Catullus, Carmen 2

Passer, deliciae meae puellae,
quicum ludere, quem in sinu tenere,
cui primum digitum dare appetenti
et acris solet incitare morsus,
cum desiderio meo nitenti
carum nescio quid lubet iocari
et solaciolum sui doloris,
credo ut tum gravis acquiescat ardor:
tecum ludere sicut ipsa possem
et tristis animi levare curas!

English Department, Harvard University

Latin Exam,

Translate both the following passages into good modern English prose:

1. A challenging God

quae postquam gesta sunt temptavit Deus Abraham et dixit ad eum
Abraham ille respondit adsum [2] ait ei tolle filium tuum unigenitum quem
diligis Isaac et vade in terram Visionis atque offer eum ibi holocaustum
super unum montium quem monstravero tibi [3] igitur Abraham de nocte
consurgens stravit asinum suum ducens secum duos iuvenes et Isaac filium
suum cumque concidisset ligna in holocaustum abiit ad locum quem
praeceperat ei Deus [4] die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul [5]
dixitque ad pueros suos expectate hic cum asino ego et puer illuc usque
properantes postquam adoraverimus revertemur ad vos

[6] tulit quoque ligna holocausti et inposuit super Isaac filium suum ipse
vero portabat in manibus ignem et gladium cumque duo pergerent simul [7]
dixit Isaac patri suo pater mi at ille respondit quid vis fili ecce inquit ignis et
ligna ubi est victima holocausti [8] dixit Abraham Deus providebit sibi
victimam holocausti fili mi pergebant ergo pariter [9] veneruntque ad locum
quem ostenderat ei Deus in quo aedificavit altare et desuper ligna composuit
cumque conligasset Isaac filium suum posuit eum in altari super struem
lignorum [10] extenditque manum et arripuit gladium ut immolaret filium

[11] et ecce angelus Domini de caelo clamavit dicens Abraham Abraham qui
respondit adsum [12] dixitque ei non extendas manum tuam super puerum
neque facias illi quicquam nunc cognovi quod timeas Dominum et non
peperceris filio tuo unigenito propter me

2. A picture of grief

Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
multa gemens, largoque umectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus,
hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
adgnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
ardentisque avertit equos in castra, prius quam

LATIN - Aug '13

pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.

Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
infelix puer atque impar congressus Achilli,
fertur equis; curruque haeret resupinus inani,
lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.

English Department, Harvard University

Latin Exam, February 2012

Translate both the following passages into good modern English prose:

1. A challenging God

quae postquam gesta sunt temptavit Deus Abraham et dixit ad eum Abraham ille respondit adsum [2] ait ei tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac et vade in terram Visionis atque offer eum ibi holocaustum super unum montium quem monstravero tibi [3] igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum ducens secum duos iuvenes et Isaac filium suum cumque concidisset ligna in holocaustum abiit ad locum quem praeceperat ei Deus [4] die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul [5] dixitque ad pueros suos expectate hic cum asino ego et puer illuc usque properantes postquam adoraverimus revertemur ad vos

[6] tulit quoque ligna holocausti et inposuit super Isaac filium suum ipse vero portabat in manibus ignem et gladium cumque duo pergerent simul [7] dixit Isaac patri suo pater mi at ille respondit quid vis fili ecce inquit ignis et ligna ubi est victima holocausti [8] dixit Abraham Deus providebit sibi victimam holocausti fili mi pergebant ergo pariter [9] veneruntque ad locum quem ostenderat ei Deus in quo aedificavit altare et desuper ligna conposuit cumque conligasset Isaac filium suum posuit eum in altari super struem lignorum [10] extenditque manum et arripuit gladium ut immolaret filium

[11] et ecce angelus Domini de caelo clamavit dicens Abraham Abraham qui respondit adsum [12] dixitque ei non extendas manum tuam super puerum neque facias illi quicquam nunc cognovi quod timeas Dominum et non peperceris filio tuo unigenito propter me

2. A picture of grief

Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
multa gemens, largoque umectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus,
hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
adgnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
ardentisque avertit equos in castra, prius quam

pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
infelix puer atque impar congressus Achilli,
fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.

Latin Exam: Translate the Following Two Passages Into Modern English

Revelation 21:1-5

Et vidi caelum novum et terram novam
primum enim caelum et prima terra abiit
et mare iam non est
et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem de caelo a Deo
paratam sicut sponsam ornatam viro suo.
Et audivi vocem magnam de throno dicentem:
'Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis
et ipsi populus eius erunt
et ipse Deus cum eis erit eorum Deus
et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum
et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra
quae prima abierunt.'
Et dixit qui sedebat in throno:
'Ecce nova facio omnia!'

Horace, Carmina 3.30 [you need translate only to 'recens', line 8, but go on if you can]

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non Aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum,
non omnis moriar multaue pars mei
vitabit Libitinam; usque ego postera
crescam laude recens. [dum Capitolium
scandet cum tacita virgine pontifex,
dicar, qua violens obstrepit Aufidus
at qua pauper aquae Daunus agrestium
regnavit populorum, ex humili potens,
princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam]

i.e. more lasting than

i.e. higher than

quod antecedent is monumentum

omnis wholly

temple of Venus Libita, 'the death goddess'

tacita virgine the vestal virgin

Latin Exam

February 2008

Translate the following passages into good modern English prose:

1. *Forbidden Fruit*

Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem: « Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? »

Cui respondit mulier : « De fructu lignorum quae sunt in paradiso vescemur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud ne forte moriamur. »

Dixit autem serpens ad mulierem: “Nequaquam morte moriemini; scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum. »

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum cumque cognovissent esse se nudos consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.

Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei : « Ubi es? »

2. *Beginnings*

In nova fert animus mutatas dicere formas
corpora; di, coeptis (nam vos mutastis et illas)
adspirate meis primaque ab origine mundi
ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum
unus erat toto naturae vultus in orbe,
quem dixere chaos: rudis indigestaque moles
nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem
non bene iunctarum discordia semina rerum.
nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,
nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,
nec circumfuso pendebat in aere tellus
ponderibus librata suis.

Latin Exam

Translate the following passages into good modern English prose:

1.

The creator displeased with his work:

- cumque coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent
- videntes filii Dei filias eorum quod essent pulchrae acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant
- dixitque Deus non permanebit spiritus meus in homine in aeternum quia caro est eruntque dies illius centum viginti annorum
- gigantes autem erant super terram in diebus illis postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum illaeque genuerunt isti sunt potentes a saeculo viri famosi
- videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore
- paenituit eum quod hominem fecisset in terra et tactus dolore cordis intrinsecus
- delebo inquit hominem quem creavi a facie terrae ab homine usque ad animantia a reptili usque ad volucres caeli paenitet enim me fecisse eos

2.

A dangerous liaison :

At regina gravi iamdudum saucia cura
volnus alit venis, et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
gentis honos: haerent infixi pectore voltus
verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras,
umentemque Aurora polo dimoverat umbram,
cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
“Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes,
quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis! »